



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Spes & Fiducia, Cuius Iudicisqve Dei, Erga Homines In Hac
Vita Existentes, Firmata**

Stengel, Georg

[S.l.], 1645

§. 7. Nullum esse tantum peccatum, quod per pœnitentiam non possit
deberi.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-49823](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-49823)

is miraculum pulcherrimum vtilissimū-
que fuit; è tali foemina, quæ libidinis sta-
bulum fuerat, exemplum poenitentiae vir-
tutumque factum esse; in quo diuinæ bo-
nitatis profundissima consilia splendue-
runt.

§. VII.

*Nullum esse tantum peccatum, quod per poe-
nitentiam non possit deleri.*

Quæ meritò vnumquemque animare,
possunt, ne, cum Cain aut Iuda, à diabolo se
finat adigi ad desperationem, quasi graui-
tas peccatorum maior sit, quàm Dei mise-
rationes. Ades igitur, peccator, etiamsi, in
peccatis atatem omnem contriuisisti; etiamsi
cum adulterijs homicidia, & omnis generis
crimina cumulauisti; habes misericordem
Deum, qui jurans ait: *Viuo ego, nolo mortem*
impj, sed vt conuertatur impius à via sua, &
viuat. Conuertimini à vjs pessimis vestris, &
quare moriemini, domus Israël? Nullum pec-
catum est tantum, quod non remitti possit
à tanto. Quid maius est adulterio & homici-
dio? Audi igitur Davidem de his poenitentem:
Dixi, inquit, confitebor aduersum me iniustitia
meam Domino, & tu remisisti impietatem pec-
cati mei. Propterea Christus peregrinatus in
terra, maxima peccata remisit; latronem in

Ezech. 33.

10.

S. Chry-
sost hom.
6. de poe-
nit.

Paradisum duxit; Publicanum fecit Euangelistam; Paulum blasphemum Apostolum orbis: ut tu peccator, minus desperes, sed peccatum facendo deleas, & salubrem ingrediaris viam. At magna est multitudo iniquitatis tuæ, & super arenam maris? Maior est misericordia Dei. Nam Dei clementia pietasque mensuram non suscipit, neque ipsius bonitas verbo interpretari potest. Tua quidem malitia mensuram habet (cum & Arithmetici profiteantur, se numerum arenæ maris posse dicere) Dei verò clementia & pietas incircumscripta est; ipsa igitur tuam malitiam superat. Cogita scintillam, si in mare ceciderit, num poterit stare & apparere? Quantum scintilla ad mare se habet, tantum hominis malitia ad Dei clementiam & pietatem: immò verò non tantum, sed & longè supra: nam & pelagus, tametsi magnum sit, recipit mensuram, Dei verò clementia, & pietas mensuram non habet. Hæc S. Chrysostomus. Ob hanc bonitatis suæ immensitatem, Deus, apud Prophetam, postquam dixerat: *Væ genti peccatrici, populo gravi iniquitate, semini nequam, filiis sceleratis, dereliquerunt Dominum, blasphemarunt sanctum Israël &c. subiecit: Lauamini, mundi estote &c. si fuerint peccata vestra, ut coccinum, quasi nix dealbabit.*

Idem S.
Chryso-
stom. 3. de
Pœnit.

Isa. 1.

albabuntur, & si fuerint rubra, quasi vermiculus, velut lana alba erunt. Obseruat D. Basilii, colorem coccineum & rubrum, inter omnes colores, esse maximè tenaces, ac ferè indelebiles, immò velut in natiuum colorem conuerti. Quare & peccatum ita adhæret, præsertim impijs, & fornicarijs, quos Fulbertus, supra, dixit, *indelebili nota, in sanguine suo morituros*, ni diuina scilicet gratia vtantur; hac tamen pœnitentiâque qui vtuntur, lauari, mundariq; possunt, & quasi nix aut lana dealbari; etiamsi peccata illorum pondere grauiâ, enormitate cruenta, numero multa, consuetudine inolita, & velut in naturam conuersa videantur. Verè S. Cyprianus: *Quæcunq; necessitas cogat ad pœnitentiam; nec quantitas criminis, nec breuitas temporis, nec vitæ enormitas, nec hora extremi-
tas, si pura fuerit voluntatis mutatio, excludit à venia, sed in amplissimos sinus suos mater charitas reuertentes suscipit prodigos, & velit nolit Nonatus hereticus, semper verè pœnitentes suscipit Christus.*

S. Basil.
homil. de
pœnit.

Vide su-
pra §. 4.

S. Cypri-
an. serm.
de cœna
Dominicæ

§. VIII.

Quanta sit, non solùm diuinæ, sed etiam humanæ misericordiæ vis?

Itaque quisquis vel de se, vel de vlllo peccatore,